

Synodi Congregationibus præfuit, suumque gratum sensum munificæ ejus blandæque hospitalitatis.

## SESSIO TERTIA ET ULTIMA.

**DOMINICA** quintâ post Pascha, die 17 Maii, horâ decimâ A. M. convenerunt in Ecclesiâ Metropolitanâ Illm̄us ac Revm̄us D. Archiepiscopus unâ cum ceteris Concilii Patribus, Officialibus ac Theologis. Missam celebravit Illm̄us ac Revm̄us D. Archiepiscopus; concionem verò habuit Illm̄us ac Revm̄us D. Episcopus Carolopolitanus. Deinde aperta est Sessio tertia et ultima, et servatis omnibus quæ in Pontificali Romano præscribuntur, ritè perfecta et absoluta.

ED. DAMPHOUX, S. T. D. Secr.

FRANCISCUS LHOMME, Secr.

## ACCLAMATIONES.

*Archidiaconus.* Deo Patri misericordiarum, et Deo totius consolationis, gratiæ.

*Chorus.* Immensa est misericordia tua super nos, Domine, qui Conciliorum frequentiâ Americanam Ecclesiam jugiter augere, nosque rectum justitiae trahit et disciplinæ regimen docere dignatus es. Tibi laus, tibi honor, tibi gloria in sæculum, et æternum.

*Archid.* Beatissimo Gregorio Papæ, et Domino nostro, sanctæ universalis Ecclesiæ Pontifici, multi anni et diuturna prosperitas.

*Chorus.* Domine Deus, sanctissimum Patrem nostrum Ecclesiæ tuæ conserva: mitte illi auxilium de sancto, ut eo gubernante gentes omnes illuminentur,

et quæ dispersæ sunt, in unum Ecclesiæ tuæ ovile colligantur.

*Archid.* Reverendissimo Domino Archiepiscopo Baltimorensi, hujus Concilii præsuli, cum multis annis salutaris vigilantia, in laboribus constantia, et omnia fausta.

*Chorus.* Omnipotens Deus, super Antistitem nostrum benedictionum tuarum dona perpetuò multiplica.

*Archid.* Reverendissimis Dominis Episcopis, qui ad hoc Concilium celebrandum accesserunt, cum multis annis magnæ gratiæ.

*Chorus.* Magnæ gratiæ. Deus Pater lumen illustret faciem suam super eos, et accendat corda eorum in ædificationem Ecclesiæ suæ.

*Archid.* Episcopis et Presbyteris hujus Provinciæ, qui bonum certamen certantes ex hoc sæculo transierunt, pax à Domino, et felicitas in luce Sanctorum.

*Chorus.* Illorum memoria in benedictione. Dominus et illis, et omnibus qui diligunt adventum ejus, coronam gloriæ reddat justus judex.

*Archid.* Fidelibus Provinciæ nostræ, et cuneto populo Christiano pax Christi æterna.

*Chorus.* Da pacem, Domine, in diebus nostris; ut quilibet perturbatione submotâ, populus tuus hic, universaque plebs Christiana liberis tibi mentibus deserviant.

*Archid.* Nos Dei voluntatem explentes, hujusque Concilii decreta corde magno et animo volenti exequentes, digni reddamur misericordiæ et gratiæ magni et summi Sacerdotis Jesu Christi Dei, cui sit honor et gloria in sæcula sæculorum; intercedente simul beatâ ejus genitrice Mariâ, cum beatis Apostolis Petro et Paulo, atque omnibus Sanctis.

*Chorus.* Amen, amen.

## DECRETA CONCILII.

I. **P**ATRES, ardentibus votis, plausu consensuque unanimi, B. MARIAM VIRGINEM SINE LABE CONCEPTAM in Patronam Americæ Fœderatæ Statuum elegerunt; nullâ tamen inductâ obligatione audiendi missam et à servilibus operibus abstinendi in ipso festo Conceptionis B. Mariæ: atque ideo Summo Pontifici humiliter supplicandum ut solemnitas, nisi festum in Dominicam inciderit, transferatur in Dominicam proximè sequentem, in quâ missæ, tam privatæ quam solemnes, de festo illo translato celebrentur, vespertinumque officium de eodem recitetur.

II. Censuerunt Patres orandam esse S. Sedem ut declarationem edat pro Statibus Americæ Septentrionalis Fœderatis, quâ statuatur Clericos in sacris, ordinatos titulo missionis, et Diœcesibus hisce addic-tos, nos posse absque Ordinarii sui licentiâ in scripto datâ, religiosum ordinem ingredi, prout jam Episcopis Vincennensi et Ludovicopolitano S. Congregatio rescripsit.

III. Censuerunt Patres optandum esse ut, statim atque Ordinario uniuscujusque Diœcesis utile visum fuerit, proclamationes quæ Banna vocari solent, habeantur et fiant ante celebrationem Matrimoniorum\*, juxta mentem Conciliorum Lateranensis et Tridentini.

IV. Statutum est strictè inhibendos esse Pastores animarum ab administratione sacramentorum Matrimonii et Baptismi Fidelibus ex aliis Diœcesibus, qui ea à proprio Pastore facile recipere possent.

\* Ex responso S. Congregationis, quod infra, 253, reperietur, Banna etiam matrimoniorum mixtorum sunt proclamanda.

V. Censuerunt Patres proximum Concilium Provinciale habendum esse Baltimori anno 1849, quartâ post Pascha Dominicâ.

† Ego SAMUEL, *Archiep. Baltimorensis, definiens subscripti.*

† Ego MICHAEL, *Episc. Mobiliensis, definiens subscripti.*

† Ego FRANCISCUS PATRITIUS, *Episc. Philadelphiensis, definiens subscripti.*

† Ego JOANNES BAPTISTA, *Episc. Cincinnatensis, definiens subscripti.*

† Ego GUIDO IGNATIUS, *Bolinæ Episc. et Ludovicopolitani Episcopi Coadjutor, definiens subscripti.*

† Ego ANTONIUS, *Neo-Aureliæ Episc. definiens subscripti.*

† Ego MATHIAS, *Dubuquensis Episc. definiens subscripti.*

† Ego JOANNES, *Neo-Eboracensis Episc. definiens subscripti.*

† Ego RICCARDUS PIUS, *Nashvillensis Episc. definiens subscripti.*

† Ego CŒLESTINUS RENATUS LAURENTIUS, *Episc. Vincennensis, definiens subscripti.*

† Ego JOANNES JOSEPH, *Episc. Natchetensis, definiens subscripti.*

† Ego RICCARDUS VINCENTIUS, *Episc. Richmondensis, definiens subscripti.*

† Ego PETRUS PAULUS, *Episc. Zelanus, Coadjutor et Administrator Detroitensis, definiens subscripti.*

† Ego PETRUS RICCARDUS, *Episc. S. Ludovici, definiens subscripti.*

† Ego JOANNES MARIA, *Episc. Claudiopolitanus, et Vic. Apost. Texensis, definiens subscripti.*

- † Ego MICHAEL, Episc. Pittsburgensis, definiens subscrispsi.
- † Ego ANDREAS, Episc. Petriculae, definiens subscrispsi.
- † Ego GULIELMUS, Episc. Chicaginensis, definiens subscrispsi.
- † Ego JOANNES, Episc. Axierensis, et Coadjutor Neo-Eboracensis Episcopi, definiens subscrispsi.
- † Ego GULIELMUS, Episc. Hartfordensis, definiens subscrispsi.
- † Ego IGNATIUS ALOYSIUS, Episc. Carolopolitanus, definiens subscrispsi.
- † Ego JOANNES MARTINUS, Episc. Milwauchensis, definiens subscrispsi.
- † Ego JOANNES BERNARDUS, Episc. Callipolitanus, et Coadjutor Bostoniensis Episcopi, definiens subscrispsi.

## RESPONSIΟ

S. CONGREGATIONIS DE PROPAG. FIDE AD ARCHIEPISCO-  
PUM BALTIMORENSEM, CIRCA QUÆDAM PRIVILEGIA IN  
HONOREM B. V. MARIAE, SINE LABE ORIGINALI CON-  
CEPTÆ, PETITA.

ILLME AC REVME DOMINE,

A CCEPI suo tempore Acta et Decreta Synodi sextæ Provincialis Baltimorensis unà cum litteris ac supplicibus libellis ad illam Synodum pertinentibus. S. Congregatio quamprimum ea omnia accurate perpendet, et ejus responsa, prout moris est, Amplitudini tuæ à me significabuntur.

Interea pergratum mihi fuit, dum ab Episcopis magno numero petitiones ad Apostolicam Sedem venerunt Immaculatæ Bmæ Virginis Conceptionis definitionem requirentes, à Synodo quoque Baltimoresi postulatum esse ut in Missæ præfatione et oratione Immaculatae Virginis Conceptionis, atque in Litaniis Lauretanis, Bmæ Virginis sine labe originali conceptæ, in Fœderatæ etiam Americæ diœcesibus, devota mentio fiat.

Huic autem Epistolæ Rescriptum SSm̄i Dñi Nostri Ph PP. IX de eâ re adjectum reperies. Precor Deum interea, etc.

Romæ, ex Ædibus S. Congregationis de Propagandâ Fide, die 15 Septembris 1846.

J. PH. CARD. FRANSONIUS, Præfectus.

JOANNES, ARCH. THESSALONICENSESIS, Secretarius.

---

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI, HABITA DIE 18 SEPTEMBRIS

1846.

A D humillimas preces RR. PP. DD. Archiepiscopi Baltimorensis, et Episcoporum Diœcesum omnium Fœderatæ Americæ in Synodo sextâ Provinciali congregatorum, SSm̄us D. N. PIUS divinâ Providentiâ PP. IX, referente me infrascripto S. Congregationis de Propagandâ Fide Secretario, benignè in perpetuum concessit, ut tam Clerus sacerdotalis quam regularis omnium et singularum Fœderatarum Provinciarum diœcesum possit in officio et Missâ Conceptionis Bmæ Mariæ Virginis, tum die 8 Decembris et per Octavam, tum in Sabbatis per an-

num, ad verba *Conceptionis ejus* addere in Orationibus *Immaculatæ*; item in Praefatione dicere *Conceptione Immaculatæ*, et per annum *Commemoratione Conceptionis Immaculatæ*; ac tandem in Litanii ejusdem Bñæ Virginis Mariæ, ab omnibus fidelibus in præfatis diœcesibus degentibus addi possit vñ. *Regina sine labe Originali concepta, ora pro nobis.*

Datum Romæ, ex Aëdibus dictæ S. Congregatio-  
nis, die et anno quibus suprà.

JOANNES, ARCH. THESSALONICENSESIS, *Secretarius.*

### BREVE EPISTOLARE

SS. DÑI NOSTRI PII PP. IX AD ARCHIEPISCOPUM BALTIMO-  
RENSEM ET EPISCOPOS EJUS SUFFRAGANEOS.

*Venerabilibus Fratribus SAMUEL ECCLESTON, Archi-  
episcopo Baltimorensi, ceterisque Episcopis in  
Fæderatæ Americæ Septentrionalis diœcesibus  
consistentibus.*

PIUS PAPA IX.

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam  
benedictionem.

QUAS Baltimoro, Venerabiles Fratres, ad præde-  
cessorem nostrum fel. rec. GREGORIUM XVI  
litteras scripseratis, cùm ad eumdem Concilii sexti  
Provincialis in illâ Civitate mense Maio anno 1846  
habiti Acta et decreta examinanda ac probanda mit-

teretis, eæ redditæ nobis sunt non multò postquam, Pontifice illo ad virtutum suarum præmium à DEO OPTIMO MAXIMO accipiendum vocato, nos, licet im-  
merentes, ad B. Petri cathedram evecti sumus.

Voluissemus quidem vobis sine morâ respondere; sed expectandum potius esse statuimus, ut primùm de rebus in memorato Concilio gestis Venerabiles Fratres nostri S. R. E. Cardinales negotiis Propagandæ Fidei præpositi, accuratam, ut assolet, per tractationem peragerent, nobisque de deliberatione idcirco ab iisdem institutâ deinde referrent.

Nunc verò cùm id effectum ritè fuerit, cumque ea omnia absoluta sint, quæ ad novas Sedes Episcopales, prout petistis, in regionibus istis constituendas, atque ad earumdem Præsulum electionem institutionemque faciendam necessariò requirebantur, scriben-  
dam vobis hanc epistolam existimavimus, ut animi nostri sensus vobis significaremus.

Scilicet lætamur plurimū in Domino de incre-  
mento permagno quod apud vos Ecclesiam Catholi-  
cam in dies capere gaudentes testati estis. Gratula-  
lamur verò vehementer virtuti laboribusque vestris,  
qui propagandæ Religionis singulari studio animati,  
ad amplificandam magnam istam vineæ Domini par-  
tem, curam omnem ac pastoralem sollicitudinem con-  
tulistis. Speramus autem futurum ut ubiores quo-  
tidie fructus ex præclarâ laborum vestrorum prose-  
cutione percipiatis. Nos denique vobis apertè polli-  
cemur, nihil unquam nos esse omissuros, quod vobis  
et Ecclesiæ causæ quam pertractatis, utilitati atque  
adjumento esse possit.

Interea, dum vos certiores facimus de Concilii à  
vobis habiti decretis per memoratam Ven. Fratrum  
nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationem

vobis mentem nostram erga vos in primis benevolam patetfaciendam esse, Apostolicam benedictionem vobis ex animo peramanter impertimur.

Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem, die 13 Junii 1847, Pontificatū nostri anno primo.

## EPISTOLA

S. CONGREGATIONIS GENERALIS DE PROPAGANDA FIDE AD ARCHIEPISCOPUM BALTIMORENSEM.

ILLĒ AC REVĒ DOMINE,

**A**CTA et decreta sexti Concilii Provincialis ab Amplitudine tuā et Episcopis Suffraganeis anno præterito habiti, ad hanc S. Congregationem perlata fuerunt; sed pluribus de causis, et præsertim gravitate rerum à Concilio pertractatarum, factum est ut responsio per quam mens S. Congregationis vobis innotesceret, ad hoc usque tempus differri debuerit. Pergrata quidem fuerunt emergentia ex Actis hujus etiam Concilii argumenta obsequii erga D. Petri Sedem, zeli pro animarum salute procurandâ, et divinâ gloriâ impensè promovendâ. Dignum verò vestrâ virtute fuit, qui Episcopali dignitate prædicti estis, quod tanto disciplinæ Ecclesiasticæ studio, tantâque erga Apostolicam Sedem observantiâ commendemini. Neque mirum proinde videri debet si ex hac tenus petitâ Sedium Episcopalium erectione, ex decretis conditis, et ex omnibus aliis in Conciliis Baltimorensibus antea gestis, tales fuerint in Americæ Fœderatæ Provinciis religionis progressus, ac tanto

splendore enituerit Cleri sollicitudo, atque Religiosa virorum et mulierum instituta tantoperè floruerint.

Ut hi fructus laborum quos unà cum dilectis utriusque cleri Presbyteris indefessè sustinetis copiosiores sint, atque ut plenitudo gratiarum cœlestium in omnes diœceses derivetur, Patres Concilii optimum consilium inivere implorandi peculiarem potentissimam SSmæ Dei Genitricis opem ac tutelam, atque SSmus Dñus Noster PIUS PP. IX electionem à Concilio factam ejusdem Bñae Virginis sine labe originali conceptæ in Patronam Americæ Fœderatæ Statuum libertissimè confirmavit. Adjectum habetur de eâ re decretum à SSmo Dño approbatum.

Libellum supplicem quo petebatur ut Episcopis in posterum promovendis liceret juramentum juxta formulam à Concilio propositam emittere, S. Congregatio attentè consideravit, et SSmus Dñus Noster eamdem formulam benignè probans, ab Episcopis ad Sedes Americæ Fœderatæ promovendis servari jussit.

Ex adjectis pluribus SSmī Dñi Nostri litteris Apostolicis intelligetis Sanctitatem Suam novarum Sedium Episcopalium\* erectioni à vobis propositæ as-

\* Nempe *Albany*, *Buffalo* et *Cleveland*. Albanensis Diœcesis eos habet fines à Septentrione et Oriente, quibus ipse Status Novi-Eboraci includitur: à Meridie, lineam habent latitudinis Septentrionalis quadragesimam secundam; denique, Occidentem versùs, perveniunt usque ad limitem Orientalem Comitatuum *Cayuga*, *Tompkins* et *Tioga*.

Diœcesis *Buffalo* comprehendit omnem illam Status Novi-Eboraci partem quæ, ad Occidentem, limitibus Orientalium Comitatuum *Cayuga*, *Tompkins* ac *Tioga*, et consuetis finibus Status Neo-Eboraci constituitur.

Diœcesis *Cleveland* complectitur omnem illam Status Ohiensis partem quæ, ad Septentrionem, ad lineæ latitudinis Septentrionalis gradum quadragesimum, et quadragesimum-primum minutum jacet.